



**Scientia Salvatis, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

149. Fer. 3. De Beatoru[m] ardenti amore Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](#)

## MEDITATIO CXLIX.

Feria 3. post Domin. 4. post Pascha.

*De Beatorum ardenti amore**DEI.*

**C**oncipiam incendium immensum amoris DEI, proportionatum immensæ luci gloriæ Beatorum. Petam dilectionem Beatorum agnoscere, & consequi.

*Conf. 1.* Quomodo Beati Vivant vitam amatoriam; nam ut ait Aug. in Ps. 91. Si amamus, quem non videmus, quomodo amaturi sumus, cum videbimus? cum enim bonum agnatum fulchrum & utile amorem sui generet, eò majorem, quò bonum est melius, pulchrius, & utilius, & Beati Deum videndo videant infinitum bonum, infinitum pulchrū, infinitum utile, habeantque infinitas rationes alias eum amandi, amant Deum ex toto, & sciunt se amare. sempérque amatores; unde eliciunt amorem complacentiæ tam appreciativum, ut malint carere fruitione Dei, quam in minimo à voluntate Dei deviare. Hic amor est excellentiæ insinuatus. Apoc. 4. quando misserunt coronas suas ante thronum Dei; qua voluntate (dum esse Deum volunt, qui est) si esset efficax, æquarent Deum; quia redderēt, quod receperunt, acceperunt Deum à Deo, redderent Deum Deo,

*Conf. 2.*

262 Feria 3. Dom. 4. post Pasch.

Conf. 2. Quomodo Deum ament amore  
beneficentiae: quia perfectio amoris est in  
opere, & effectu, ideo quidquid agunt, tamen  
ad finem ordinant gloriae Dei, pro hac unicè  
petunt, quod insinuat Apoc. 6. Vindica  
Domine, &c. destrue peccatum, ut salveretur  
peccator.

Conf. 3. Quomodo ament Deum deificare  
sine fine: quia talis quisque est, qualis est ejus  
amor, e modo, quo res à luce dicitur lucida,  
vel repercuSSIONe Solis in nube alter solvi-  
detur. Et quia sicut Deus respectu nostri est  
invisibilis, sic respectu Beatorum dicitur in-  
habitare Deus caliginem, quia est incompre-  
hensibilis: hinc sequitur, quod sic semper  
amplius amabilis, adeoque Deum amans  
toto, semper, & amplius, sine fine. Disqui-  
rā quām appretiativē, quām zelosē, & quām  
constanter in amore Dei crescam.

MEDITATIO CL.

Feria 4. Domin. 4 post Pascha.

*De Beatorum gaudio immenso  
de DEO.*

V Ideo felicissimum amoris partum, u-  
visione & amore Dei progenitum gau-  
dium, ab immenso DEO implente omnes  
gaudio, ita ut non totum gaudium intret in  
gaudentes, sed toti gaudentes intrent in gau-  
dium